



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus Europaeus  
Perperam Dictus**

**Wavre, Philippus van**

**Antverpiae, 1709**

§. 7. Conveniens fuit damnatae Pentados Authorem Jansenium nominatim  
exprimi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39351**

postolica merita, Jura, Privilegia, firmamenta, Cornelii Jansenij merita congregent, & nisi pertinacia oculos menti excusserit, videant quales errores ab inferis revocent, ut quinque Jansenianas vivere faciant, sed vitâ lethali.

§. 7.

*Conveniens fuisse ostenditur damnatæ Pentadis Authorem Cornelium Jansenium, licet in pace defunctum, nominatim exprimi.*

**F**ilij iniquitatis damnatæ Pentadis Defensores, obtentu reverentiæ erga Personam Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi in pace defuncti, sed intentione damnatam ejus doctrinam, non sine injuria Sedis Apostolicæ, ab omni errore vindicandi; non patiuntur Jansenianum nomen exprimi, ut ita ad aliorum Hæreticorum sensa famosas propositiones, puta Calvinii, Lutheri, intacto Jansenio, valeant detorquere, ac Apostolicas sanctiones eludere, & elidere fulmina. Eò collineant toties repetita Jansenii præconia & concelebrata, cum in vivis ageret, præclara merita, quibus derogatum iri autumant, si Nomen ejus Hæresiani dogmatis labe lutularetur. Ità miseri plus pensi habent Iprensis Præsulis merita, quam Apostolicæ Sedis jura, & promanantia de Petri Cathedra judicia, oracula. Paulum Aurelium audiamus:

*Prol. Galeat. §. 26.*

*Quid Ecclesie Catholicae, cujus se excellentissimum defensorem præstitit, quid Summi Pontificis, cujus partes ubique strenuè suscepit, quid Doctorum Theologicorum, quorum insignia gestivit:*  
Quid



PRODROMA. 45

*Quid totius orbis Christiani interest, ut sub tam atroci infamiâ magnum illud Ecclesiæ, Reipublicæ, Episcopalis Ordinis, & Academia Lovaniensis ornamentum sepulcrum ranceat? & rursus: Quid §. 28. ad Doctrinam Ecclesiæ, quid ad Reipublicæ pacem, quid ad utilitatem fidelium; an quinque propositiones insint, nec ne, libro insignis Episcopi, Doctoris egregii, & fidei defensoris magni, in ulnis Ecclesiæ cum summâ erga Sedem Apostolicam ad meliorem vitam profecti?*

Interest utique Ecclesiæ Catholicæ, interest fidelium non modò Aconita dogmatum nosse, sed & venenata pascua, fontesque corruptos, unde bibuntur pestifera dogmata, vitare posse: Interest Romanorum Pontificum luem novitiam à veteri discriminare, Hæresim Jansenianam à Calvinianâ, & Lutheranâ sejunctam ad suam Classẽ reducere.

Interest Apostolicæ Sedis, Augustinum ipsum tam venerabiliter à se susceptum, cuius titulo Phaleratus incedit damnatarum Auctor, & cuius obtentu Defensores Jansenii indemnatum, imò indemnabilem librum illius clamitant, à damnato Augustini Æuropei, ut vocant, sensû segregare, atque dispescere. Ideòque oportuit sensum exprimere nativum seu obvium Cornelii Jansenii, ne per ejus latus Augustinus ipse, cuius verbis exuberat, feriri videretur.

Si non inter sit Ecclesiæ, ut Doctorum Ecclesiæ in pace defunctorum nomina deviis eorum dogmatibus adfigantur, quomodo V. Synodus impiis Theodori Conscriptis Anathema dixit, & defensoribus ejus?

Quomodò S. Gregorius eam Synodum, quã tanti Doctoris nomen, tam atroci infamiâ notavit, per omnia veneratus est? Quomodò ejus Personam, cuius scripta evidenter à rectitudine

Catho-



## 46 DISSERTATIO

Catholicæ fidei deviant non injustè damnatam asseruit. Quomodò eadem Synodus Theodoretæ scripta Anathemate icit, cujus Personam suscepit? Quomodò Pelag. II. scripsit: *Quis non videat, quantà temeritate plenum sit Theodoretæ scripta superbiendo defendere, quæ eundem ipsum constat recta post profitendo damnasse?* Item: Personam recipimus, & ea, quæ dudum latuèrunt, prava scripta reprobamus, in nullo à Chalcedonensis Synodi actione deviamus? Quia sola ejus hæretica scripta respuentes, & cum Synodo adhuc Nestorium insequimur, & cum Synodo THEODORETUM recta profitentem VENERAMUR? Qualiter Gregorius Magnus tanti viri in pace defuncti Personam non occuluit, dum quatuor Patriarchis in hunc modum scripsit: *Scripta quoque THEODORETI, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementia prolata refutantur.* Et de Epistola Iba quid differam? Quinta Synodus sub Anathemate damnat eam & defensores ejus: & hoc Magnus Gregorius pariter approbat.

Epist. ad  
Eliam Archi  
Episc. Aquil.  
c. 20.

L. 1. c. 24.

At remugientes audio: Theodori Mopsuentensis Episcopi Nestorianæ Parentis hæresis, utpote Nestorii Magistri in Ephesino Concilio nulla ratio nominis habita fuit, proculdubio, quia fuerat totius Ecclesiæ Orientalis Magister & Hæreticarum omnium Cohortium debellator.

Responsum illi opperiantur à S. Cyrillo, *dispensativè* id factum, cum in frutice seu Nestorio radix mala succisa videbatur, ac sic ex parte Theodorianorum scriptorum discrimen nondum metueretur. *Dispensatim fecit*, ait, Vigilius Papa in suo Constituto.

Si regerentem audiam: S. Proclus ad Joannem Antiochenum, & ad Maximum Archimandritam scribit, se mirari, quod Nomina eorum Anathematizatis Capitulis præponerentur, cum Auctores jam ad Deum migraverint. Re-



Respondentem accipiat causam istam nondum sufficienter fuisse discussam, & utrimque disputatam fuisse, præsertim cum majora diffidia & scandala ex nominatione Auctorum, quam ex dispensativa dissimulatione secutura pertimescebant, præsertim ob Authoritatem Theodori, cui populus acclamare postea auditus est: *Crescat fides Theodori*. Sed his omnibus jam desinentibus, cum fidei periculum crearetur, nisi errorum conditores agnoscerentur; suprema Sedes securiore cautione his malis obviam venit, ut ex trium Capitulorum condemnatione totius orbis Christiani reverentiâ susceptâ enitescit Viris Eruditis. Tandem enim in Concilio V. discussus est *ex suis scriptis Theodorus, & non tantum verba, sed & sensa Nestoriana habuisse iudicatus*. Istud nostræ (V.) Synodi iudicium confirmavit omnis sub Cælo Ecclesia, à quâ quisquis discordarit, manifestus est temerator ac rebellis, inquit Magnum Athenarum Theologicarum Grudiarum Decus, & Antiquitatis Scriniarium Ex. P. M. Christianus Lupus.

At inquires cum Facundo Hermianensi, (sed ante hæc tempora) *Si tam certus error est aliquorum in pace defunctorum, ut nequeat excusari, sine illorum infamia, sine offensione & perturbatione Ecclesiæ; tacitis eorum Nominibus, ipsis erroribus occuratur, ut ex debita reverentia exhibeatur Prædicatoribus in Ecclesiæ pace defunctis, & nulli Catholico sit offensa defensio veritatis.*

Respondeo id fuisse Facundi præjudicium, quod non præjudicat Veritati. Nam clarum est novarum, præsertim hæresum Auctores, eorumque conscripta latere non posse sine periculo fidei & legentium discrimine. Theodori hæresis nova non erat & ignota, utpote in Nestorio damnata. Atque ita saltem dispensativè



nomen Theodori apud tempus suppressum non præfagebatur nociturum. Et hinc claret Dissipatio alterius nebulæ conflatæ ex facto S. Cyrilli, Joannis Antiocheni & S. Procli, qui Theodori Personæ ac nomini parcitum voluerunt, & ab Imperatore Theodosio edictum promeruere: *Ne quis adversus eos, qui in Ecclesiæ pace defuncti sunt, quidquam de cætero tale præsumat.* Nam & hoc præsertim S. Cyrillo dispensativè, melioris boni intentione, atque periculo gliscentis erroris per Auctoritatem Theodori cessante, gestum legimus.

Enimverò cum idem S. Cyrillus rapi eò cerneret Theodori Defensores discipulosque, ut non modò Magistri Personam tegerent, sed & Doctrinam, ut Catholicam in Theodori sui sensu defenserent, eamque, nisi aliorum Patrum in damnationem doctrina vocaretur, damnari haud quaquam posse clamitarent; usque adeò, ut hæc esis ipsa, quam in Nestorium olim traduxerat, pro fide censeretur, & diceret populus: *Crescat fides Theodori. Credimus sicut Theodorus.* Tempus jam erat non dispensandi in Personæ nomine non evulgando, sed altè clamandi, & Auctoramentum erroribus submovendi, declarandique, tanti licet meriti virum, à rectitudine Catholicæ fidei deviasse, atque ita à pervolvutandis scriptis ejus supersedendum Præstitit id S. Cyrilli prudentia, qui indignissimè ferens sic adamatam Theodori doctrinam erroneam propter Personam, ut & Sanctorum Athanasii ac Gregorii &c. adæquarent, veritatis zelo accensus, *Mentiri eos dixit*, qui doctrinam impiam ita exaltarent, ut Sanctorum illorum doctrinæ sinceritati pariarent; alterumque à Cæsare Edictum obtinuit, quo etiam Persona Theodori feriretur, ac memoria aboleretur.